



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Malachias. 5. Novemb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

pulvi.
pedes,
ætulit,
obili.
pendit,
abuit;
e pin.
i tergo
ludos,
ras ca.
xit, &
omine
truxit.
orum
es mi.
Mitto
arolus

habes. Quid tam parcus es in pauperes? *Divitiæ pau-*
perem faciunt, si diliguntur; divitem & beatum, si pro-
Christo contemnuntur. Guerr.

2. Orandi tam studiosus erat, ut orationem ad o-
ctonas horas quandoque produceret. Orabat aliquan-
do, cum quidam in eum catapultam explosit; intermi-
sit quidem orationem, sed duntaxat ut prohiberet, ne
sui scelestum hominem insequerentur. Quam absimi-
lis est nostra precandi ratio? res nihil à Domino nos
avocat an eodem animo hosti tuo pepercisses?

3. Quantum amabat alios, tantum se oderat: jeju-
nia, verbera, peregrinationes, quas pedes faciebat,
cilicum, quod etiamnum moriens gestabat, liquidò
probant, eum odisse animam suam, in hoc mundo.
Quomodo agis cum corpore tuo? hic Princeps natu-
ræ delicioris, mole negotiorum oppressus, habebat
vires, & tempus ad mortificationem, tu vero non ha-
bebis?

S. MALACHIAS.

5. Novemb.

*Amen dico tibi, non exies inde, donec
reddas novissimum quadrantem.*

Christus Matth. cap. 5.

Ades turba literaria, & si placet, euntem
ad ludum puerulum Malachiam comi-
tare. Vides ex via subsistentem, & passis bra-
chiis

chiis identidem non Apollini sed Numini sup-
plicet. O plures sic ad scholas itarent, ut
plures inde Malachiæ redirent. Nunc unicum
laudamus, qui Sacerdotio à Musis donatus
sororem è piacularibus flammis facto sacri-
cio exemit, mox patriæ (Hiberniæ) Episcopa-
tum tulit. Verum uti honor artes alit, ita in-
vidiam provocat. Capiti Malachiæ plures in-
sidias posuerunt, ut ipsius insulâ suum tege-
rent caput. Sed cælum pro virtute pugnavit.
Nam dum Malachias ad asylon templum con-
fugit, tempestas omnes ejus hostes fulmina-
vit, lacerosque eorum artus hinc inde stipiti-
bus arborum ad cogitati parricidii infamiam
suspendit. Sed & mulier, quæ linguam in Di-
vum armaverat, putrescere hanc sensit, uto-
ris virulentam infamiam graveolentia prode-
ret. Alios oculorum orbitas, ferrum alias
ignesque & dæmon malus sunt ulti. Ita omni-
bus periculis subductum caput in tutas late-
bras Claram Vallem tulit, & ut securum jam
esset, cucullo abdidit morienti oculos clausit
D. Bernardus, quem quia præconem laudum
etiam suarum habere meruit, non jam Achil-
li Homerum puto invidebit. Ex S. Bern.

MEDI-

M E D I T A T I O.

De ratione juvandarum animarum Purgatorii.

1. **A**djuvare debes precibus, aliisque piiis operibus animas purgatorii. Charitatis est id genus officium Christianis omnibus praestare, quia sunt fratres tui, justitiae vero, parentibus & amicis, quippe, qui divitias eà conditione tibi reliquerunt, eorum ut animabus opem ferres. Heu! parentes tui patiuntur in his flammis fortasse tuam causam, quia nimis te plus & quo amarunt, nec te misereat parentum tuorum? Miseremini, miseremini saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Job.

2. Potes levare animarum dolores oblatis sacrificiis, sacrâ Communione, indulgentiis, jejuniiis; nequeunt illæ quidem suis precibus minuere inflictos sibi dolores, ast vel ex eo dolorum oceano aliis possunt gratias impetrare. Adjuva eas; invoca eas tuis in necessitatibus, beneficij memores aderunt invocanti.

3. Si benignum te adversus aliorum animas præbueris, non deerit, qui post mortem tuam pro te preces fundat. Noli tamen idcirco omittere pœnitentiam, sed vaca, quibuscumque poteris, piiis operibus, ut minuas dolores, qui te manent in purgatorio. Abstine, quantum poteris, ab omni levi peccato, graviori si quidem dolore ibiluitur. Heu! quot venialia peccata quotidie committis, in purgatorio punienda.

U 4

S. LEO-

EDL.